

www.e-rara.ch

**Marsilii Ficini ... de religione christiana opus plane divinum et huic nostro
seculo pernecessarium**

**Ficinus, Marsilius
Guillard.**

Parisiis, 1559

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 8004

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-32312>

Capitulum XII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

po fidem impetraret, quam semper impugnaverat, elucubrauit aduersus pristinam religionem (vt Hieronymus ait) luculentissimos libros, ac tandem veluti quibusdam pietatis obsequiis impetrauit.

Christi auctoritas apud Mahumetenses.

Capitulum XII.

MAhumetenses, Christiani quodammodo esse videntur, quamuis hæretici, Arrianorum, Manichæorumque sectatores. Confitetur certe rex eorum Mahumetes, Iesum Christum dei virtutem, sapientiam, animam, flatum, spiritum, verbūque, afflatu quodam diuino ex Maria virgine perpetua natum, suscitasse mortuos aliquot, miracula plurima præ cæteris diuinitus effecisse: fuisse cunctis Hebræorum prophetis sublimiorem: nullumque Hebræos post Iesum habituros prophetam. Cunctis quidem viris eū anteposit, Mariam omnibus mulieribus. Addit corpus Iesu incorruptum in cælum ascendisse. Christianos Iōgo interuallo Iudæis anteposit. Iudæos admodū detestatur. Hæc in libro eius Alcorano omnia. Vnde sectatores illius Iudæos suis sacris non prius initiant, quàm sacramenta Christianorū antiqua, vera & bona esse confiteantur. Et qui Mahumetis sepulchrū visunt, nisi etiam Christi sepulchrum viserint, nondū satis purificati existimantur. Qui Christi vel

Mariæ nomen contumeliose commemorat, ab eis seuerè punitur. Religiosorum genus habent aliud Helix, aliud Ioanni Baptistæ, aliud (& id quidem præcipuum) Iesu Christo dicatum: celebrant prophetas & euangelia didicerunt enim a Mahumete in Alcorano, Alcoranum esse Hebraicorum prophetarum euangelique affirmationem atque declarationem. Legitur ibidem, neminem fore perfectum, nisi testamento veteri nouoque paruerit, & Alcorano insuper, quod sit congregatio & declaratio vtriusque. Quotiens euangelium nominat (quod facit sæpe) totiens proprio cognomento librum appellat lucidum. Aliquando etiam euangelium addit esse lumen testamenti, castigationem rectamque viam timentibus deum. Inducit præterea in Alcorano deum ita loquentem. Cum prophetas alios aliis præferimus, eosque allocuti fuerimus, Christo Mariæ filio animam nostram propriè conferentes, vim atque virtutem præ cæteris præbuit mus. Duo autem præcipui Mahumetis errores esse videntur. Alter, quod quâuis in Christo diuinitatem quandam ponat longe maiorem quam in cunctis hominibus vel præsentibus vel præteritis vel futuris, videtur tamen alicubi velle diuinitatem illam esse a dei summi substantia distinctam, atque minorem: quod quidem ab Arrianis accepit: sed in hoc secum ipse pugnat. Epitheta enim quæ Christo attribuit, diuinitatem eius eandem esse atque summi dei significant. Al-

ter Mahumetis error, & quidem manifestior, est, quòd quando satellites illi sacerdotum, qui conicere manus in Iesum conabantur, ceciderunt, deus (vt Mahumetes putat) repentè & clam Iesum in cœlum rapuit. Illi cum surrexissent, alium quendam Iesu similem comprehendentes, verberauerunt, & cruci affixerunt. Hoc a Manichæis accepisse videtur. Nihil opus est vt errores huiusmodi confutem. Quicumque enim Arrianam & Manichæam hæresim confutauerunt, Mahumetè quoque confutasse videntur. Concludere possumus Christianam legem apud omnes sectas, gentilium, Iudæorum Mahumetensium, reuera omnium excellentissimam esse concedi. Quisque enim istorum quâuis affectione quadam naturæ consuetudinisque vel fictionis propriam hæresim cæteris præferat, Christianam tamen (excepta sua) reliquis anteposit. Itaque cum sincere iudicaretur, cunctis absque controuersia præferretur.

De generatione filij dei in æternitate.

Capitulum XIII.

OMnis vita prolem suâ penes seipsam prius generat, quàm seorsum: & quo præstantior vita est, eo interiorem sibi generat prolem. Sic vita vegetatiua tam in arboribus quàm in animalibus semen quasi arborem, & quasi animal in corpore proprio prius generat, quàm aut iaciat extrâ, aut arborem inde, aliudve externû